

Recentioris
Venetiæ fi
nes

Prima Ve
netorū ex
peditio

Mariani lu
di quando
instituti
Narfes Eu
nuchus

in magis opportunum tempus distulere : Ex Scandinavia Germanici ocea
ni insula gens ipsa oriunda dicitur : quæ quum multos ante annos Godocho
rege circa Danubium prouinciam po. Ro. sollicitare cœpisset : proceden
te tempore Andoini regis ductu in Pannoniam uenere : Hinc Alboinum eius
filium secuti anno octauo postq̄ eo uentum erat ac tricesimo in Italiam irrupe
re: ubi eorum opes eousq; creuerunt : ut annos ducentos & amplius in ipsa ter
ra rerum sint potiti : Horum itaq; interuentu factum est : ut omnis continen
tis ora Venetiæ cum libertate nomen amiserit : atq; iis Venetis qui insulas in
colebant præscripti fuerint fines : a loco qui Caput aggeris hodie dicitur ad
Gradatas usq; aquas . Auctor rei est Paulus diaconus Longobardicæ historiæ
scriptor : Nunc quia res Venetas orsi sumus : cætera ipsius gentis gesta præter
pauca quæ ad susceptam historiam pertinere uidebuntur consulto missa facie
mus . De iis igitur quæ communi nomine a Venetis in ipsa quoq; infantia ante
Longobardorum aduentum gesta sunt : ordine edisseram : Quorum omnium
illud antiquissimum esse aiunt : unde futuram maris potentiam fœlicissima
expeditione auspiciati uidentur : Infestabant Histri & Dalmatæ maritimis la
trociniis nouæ ciuitatis statum : nec tuti quicq; insulani ab illorum incuribus
esse poterat : Id ne odio facerent : quia ægre ferrent tantam molem quanta fu
tura apparebat proximo sibi loco crescere : an quia uetus id gentis uicium esset
maritimo cursu maria infestare parum compertum hebeo : Fuerunt ea tempe
state qui crederent Tergestinatorum suasu id factum : quibus nouæ urbis suc
cessus præ cæteris erant suspecti : In hos communi nomine mouerunt Veneti :
quos alto mari assecutos acri prælio uicere : uictosq; fractis præsentis clade ani
mis toto mari prorsus abstinere coegerunt : Ludi annui diuæ uirgini ea pugna
uoti dicuntur : quanq̄ ludorum causam diuersam quidam esse tradunt : atq;
longe recentiorem : Patrii moris fuisse ferunt : ut uirgines in templo desponde
rentur : quo omnis earum suppellex cum apparatu dotis delata publice ostenta
retur : Forte accidit ut quum in æde diui Petri : quæ in parte urbis nunc sita
est : quod Castellum dicitur sponsalia celebrarentur : Tergestini qui iam palam
hostes facti erant duabus trirēmibus nocturno cursu ex alto proxima urbi lo
ca tenuerint : Mane uero carimoniarum hora in ædem ipsam impetu facto :
loci antistitem cum non parua mortalium manu rebusq; multis inde aspor
tarint : Erat per id tempus Dux Petrus Candianus : Is in re tam trepida mini
me cessandum ratus : confestim ingenti hominum manu ex omni ordine in na
ues imposita hostes insequitur : eos in Caprulanis aquis assecutos prædam in
ter se diuidentes haud magno negotio oppressit : Recaptisq; ciuibus cum an
tistite ac reliqua suppellectile : ouans quarto nonas Februarii biduo postq̄ in
eos mouerat urbem ingressus est : Verum quia Purificatio uirginis in eos dies
inciderat a re fœliciter gesta ludos primo institutos ferunt : Rem autem a religio
ne ortam luxuriosa posteritas inuidioso auri & gemmarum apparatu omnino de
prauauit . Sublatis igitur omni ora maritima quæ urbi adiacet latrociniis : Quum
Venetum nomen clarum : ac uicinis accolis minime contemptibile esse cœpisset :
Non multo interiecto tempore Narfes Iustiniani Imperatoris Eunuchus : uir
alioquin impiger Gothicis temporibus ad Italiam seruitute liberandam mis
sus publico nomine a Venetis adiutus est : Verum parum constat armis ne
an com meatu & nauibus quibus maxime tum opus fuit ad traiectionem ingen
tis exercitus quem secum duxerat : Præmissis ille ex Aquileia duodecim Lon
gobardorum millibus : Cuius gentis fida ac strenua utebatur opera aduersus